QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. MARTII,

M. CLAVDIO GERMAIN Doctore Medico, Moderatore.

An in fracturis Capitis, quauis anni tempestate, intra tertium diem ossi admouenda terebra? 883

HOMO, cuius gratia rerum omnium ornatus est institutus, nascitur in varietatem, quâ continetur orbis decus: cum enim sit vnum specie singulari, nulla opera tot alibi diffidentia reperies indiuidua, pluribusque illa distinxit inter se lineis industria naturæ suas explicantis opes, quàm vlla pictura delectauit vnquam colorum numero intuentium oculos. In ijs eodem consilio pars earum, quæ materiæ fæci sunt immersæ, princeps effingitur in huius diuersitatis venustatem, quippe non vna ex multitudine penè infinita similis est alteri, non futurarum certus numerus, non idem locus, non vnica facies est; est quæ illarum penuria laborat. Ossis in eodem compages non eadem ratione coagmentata, hîc molle, ibi durum ex crassamento seminis terreo & pingui subactum, vna sui parte simplex, altera duplex, densum, tenue, firmum, infirmum effectum est. Hinc in cranij fracturis, minor est noxa in osse verticis & aurium: peior in eo quod subest temporibus, longè grauissima & maximè omnium lethalis in bregmate: an quod cerebrum illic subditum sit vberius? an potius integumenti primi tenuitas accusanda, cum ossis imbecillitate, tandemque hac parte concipiendæ phlegmonæ aptius inuolucrum cerebri cum inuoluto cerebro.

TAM varij capitis omenta, dum cranium patitur vnitatis suæ detrimentum, non longa interjecta mora qualitatibus læduntur natiuæ temperiei infensis, vnde cita mors venire potest: causa tanti mali sanies, quæ vel in contuso collecta loco, per externem cranij superficiem exitum non inueniens cuniculis actis fertur prona ad membranas, vel perangustiorem rimam in illas illabitur, quas tandem ferali putredine corrumpit, atque serie quadam nocentissimam cerebro labem inurit: ex quo postea homo de recto sapientiæ cursu decedit, ferturque præceps in emotæ mentis vitium. Cunctator medicus hîc oleum perdet, immeritaque calamitate luet æger prolati remedij moras. Consultus verò hominum salutis, quàm primùm sensu & mente, duobus veri indagandi criterijs, conjecerit membranarum ab ichore oblæsionem, non decernet haustum poculi vulnerarij, non ad vsitatum & ratione inuentum in alijs fracturæ generibus obligandi modum licet ἀφλεγμαντότατον, confugiet, sed grandiore continui solutione quam terebra procurabit, cruori laxabit viam, spemque fere deperditam veluti postliminio restituet.

NON ita solidum est tectum nobilissimi visceris, vnde diffusa per totum corpus anima durans æuo singularique priuilegio magnitudinis expers inspirat non vim motricem & sensum, sed spiritum, vt absque noxa telorum acutorum aciem, aut obtusorum duriorem hebetudinem sustinere vel eludere possit: modo contundunt obtusa, incolumi cute, sæpe cum ea caro vestitusque caluariæ sauciantur, interdum in societatem calamitatis trahitur cranium inuitissimè, quod dum fit variè frangitur; scilicet vel assulose, vel sub ipso ictu contusione deprimitur, vel effractura intro cedit; vel telo acuminis sui vestigia imprimente exscinditur: quin & euenire solet vt vna parte fuerit ictus, quem tamen impune ferat, & os altera etiam aduersa fiderit: quocumque autem modo pertusa fuerit caluaria, plenissima quouis tempore periculi res, à quo secura nemini valetudo, nisi multis post diebus: non rarò bilem vomit ventriculus, caligant oculi, obmutescit æger & quasi conclamatus jacet: non tamen in omnibus eadem est obuersantis imago periculi; minus est si incisa solum aut diuisa superficies exterior: maius si vtraque angustiore rimâ hiet in ea parte quæ non excepit ictum; maximum cùm membranæ & cerebrum vulnus altius intromittunt. Non propterea mittet ad tibicines Medicus, sed sincero studio languenti feret opem, atque præsidio salutaris suæ artis, quæ toties huius generis ægros pristinæ restituit sanitati, se ad vulneris sua natura non lethalis curationem accinget.

OB vnum corpus, sed perfectissimum, omnia fere quæ natura voluit patere sensibus, veniunt in considerationem artificis à quo petitur ipsa salus, ex quibus anni tempora solennesque mutationes cura sagaci scrutatur, vt mente futuri conscia præsentiat quid possit in corpus aëri spirabili temperies impressa: quæ hinc expectanda commoda? quæ iniuriæ? quæ tempestas infensæ causæ retardat vel promouet impetum: æstiua capitis fracti saniei jam ad putredinem properanti fert suppetias, quô citiùs labefactentur meninges, phlegmone corripiantur, majori diuexetur æger dolore, deliret, æstuet febre. Dum desæuit hyems tardius sæuiunt hæc symptomata, nec postridie nec in perendinum se produnt, sed sæpe decimoquarto die hominem male perdunt; si tamen bene calculum ponis, non æstatis calor, non hyemis frigus, non veris probè temperati salubritas, non autumni inæquabilis constitutio, membris modò suum frigus, modò calorem insinuantis vim malefici tabi emendabunt, multò minùs reprimient, sed statim pondere suo decumbens, indesinenti necessariaque alteratione quod tanget ad noxiæ qualitatis admissionem coget, quæ si triduo putredini vltimam non addat manum, saltem ad eam non segniter disponet.

DILIGENS Medicus priusquam ossi capitis fracto medicinam adhibeat, omni mente in ea cogitatione curáque versari debet, vt odoretur quàm sagacissimè potest quis fracturæ modus πρίων recuset, quis postulet, ἔσφλασις hiulca, ἕδρης aliqua species primi sunt generis, quas propterea humido medicamine curabit. At si coram est φλάσις latens, patens, rima τριχισμὸς & amplior, ἕδρης vna aut altera species ad crudele Chirurgiæ ministerium, scalpris, terebra, modiolis perficiendum confugiet; atque si necessaria sit τρύπησις, aget ex arte, si eius imperio seruiens Chirurgus caluariam intra triduum patefaciat ac perforet: imò cùm summum sit in mora discrimen, parum de temporibus anni sollicitus, quò citiùs id jubebit, eò feliciùs effrænatas futurorum alioquin symptomatum vires coercebit, non phlegmone membranas lancinabit, non mens falsis deludetur imaginibus, non pars opposita distendetur, ad illam nondum transmissa labe; non ardor febrilis viscera devret, sed tandem pœnis ægri fatiscentibus melior valetudine fiet.

Ergo in fracturis Capitis, quauis anni tempestate, intra tertium diem ossi admouenda terebra.

Proponebat Lutetiæ QVINTINVS THEVENYM, Catalaunæus. A. R. S. H. M. DC. XL.